



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

514. An prævaleat collatio Papæ conferentis jure consensûs, præveniendo Ordinarium conferentem idem beneficium, & an hoc jure sæpe utatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

qui uti creatur per Papam, ita & per illum destrui & annihilari potest. Lott. *cit. q. 22. num. 15.* citans Menoch. *conf. 597. n. 5.*

2. Utitur proinde Papa jure suo, nec alterius juri contravenit, aut detrahit, dum fructus beneficiorum gravat pensione, etiam invito beneficiario. Lott. *loc. cit. n. 17.* ex Card. Paris. *l. 4. conf. 5. n. 85.* aut alteri Ecclesie applicat. Lott. *n. 18.* citans Ferret. *conf. 32. n. 31.* Dum beneficiario concedit facultatem disponendi de fructibus, etiam in præjudicium Successorum. Lott. *n. 19.* citans Menoch. *conf. 382. n. 4.* Ferret. *conf. 118. n. 5.* Dum beneficia quæcunque in quantumcunque alienis diocesis (quantum, ut Felin. *in c. grave. de off. Ordinar. n. 2.* totus terrarum orbis stet Papæ pro Diocesi) confert. Lott. *num. 21.* juxta *cap. nunc verò. q. 3.* Quin & utendo hac liberâ & plenâ dispositione, beneficiatum, etiam sine causâ, privare potest beneficio. Garc. *p. 5. c. 1. n. 2.* juxta *cap. quia in Ecclesiis. de constit. citans pro hoc quæmplur. & n. 6.* addens hinc omnia beneficia respectu Papæ esse manualia. Sed neque prærogativam hanc & potestatem ullum ei Concilium adimere, & minuere, aut restringere potest. Lott. *num. 23.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 34. q. 2.* aut etiam Papa concedens Ordinariis aliisque facultatem conferendi beneficia, se privat, aut privare potest dictâ potestate à Christo acceptâ, Lott. *cit. q. 22. num. 28.* Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. Barbof. &c.

Quæstio 513. Quotuplici jure Papa providere possit ac soleat beneficia disita per totum orbem in quibusvis diocesis & Provinciis?

1. **R**espondeo: quadruplici, nimirum primo jure concursus, quatenus tanquam Episcopus universalis, Ordinariusque Ordinariorum, & totius orbis, in quo veluti capite, & origine residet Ecclesiastica jurisdictio, & potestas ordinandi Ecclesias, concurrat cum ceteris omnibus collatoribus inferioribus in provisione beneficiorum quorumcunque. Lott. *l. 2. q. 22. num. 62.* Pirh. *ad tit. de præb. n. 78.* Garc. *cit. cap. 1. n. 8.* citans Paris. *de regn. l. 1. q. 10. d. 53.* Nav. *conf. 31. num. 6. de præb. Rebuff. &c.* Etiam in mensibus ordinariis Ordinariorum, hoc est, à jure illis concessis; non enim nisi cumulativè cum Papa pro his mensibus Ordinarii habeat facultatem conferendi, dum Papa pro his mensibus non abdicavit à se totaliter potestatem conferendi, aut manus sibi ligavit. Garc. *loc. cit. & nu. 10.* citans Paris. *ubi ante. Cechum de rep. Eccles. cap. 2. n. 1. &c.* Quin & in mensibus 6, alternativè concessa Episcopo. Garc. *loc. cit. n. 12. & seq.* de quo tamen vide dicenda infra. Unde jam etiam quò ad hos menses est locus præventionis inter Papam & Ordinarium, & illius provisio prævalet, quæ prius facta fuit, Garc. *ibid. n. 9.*

2. Secundò, jure devolutionis, dum ex causa aliqua à collatoribus inferioribus ad Papam fit devolutio juris conferendi.

3. Tertiò jure præventionis, dum nimirum præveniendò vacationem beneficij, mandat hac vacatione subsecutâ conferri, vel etiam ipse ex tunc confert certæ personæ. Lott. *loc. cit.* qui etiam *q. 25. n. 1.* ait, sic rectius vim vocis hujus referri ad ipsam vacationem, ita ut ex dicantur gratiæ præventivæ, quæ ipsam vacationem præveniunt; quàm confundi ab aliis cum materia concursus, dum refer-

tur ad præoccupationem, quâ Papa, dum jure concursus confert, præoccupat Episcopi alteriusve collatoris partes & gratiam.

4. Quartò, jure reservationis, dum confert certa beneficia, quæ ipse sibi privativè reservavit.

5. Quintò, simpliciter viâ juris, dum suggestâ sibi per aliquem vacatione de jure, & occupatione de facto, mandat beneficium, detruso, qui in illud intrusus erat, ipsi suggestori conferri. Lott. *loc. cit.* de quibus in seq. Unde

Quæstio 514. An prævaleat collatio Papæ, dum is jure concursus confert, seu confert beneficium, quod Ordinarius conferre poterat, præveniendò Ordinarium conferentem idem beneficium? & an hoc jure sape utatur?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè; quia est collatio facta ab habente æqualem, imò majorem jurisdictionem seu potestatem quàm Ordinarius. Castrop. *loc. cit. n. 3.* Card. de Luc. *de benef. d. 18. n. 11.* Lott. *l. 2. n. 23. in principio.* cum communi. Secus est, seu irrita est collatio Papæ, dum eam prævenit Ordinarius, aliisque collator inferior, Laym. *ad cap. si eo tempore. de elect. n. 1.* citans seipsum *Theol. moral. l. 4. tr. 2. c. 10. num. 2.* cum communi.

2. Respondeo ad secundum, non solere Papam uti istâ potestate conferendi mero jure concursus, nisi de raro, & ex magna causa, ac proinde, cessante justâ causâ, non præsumi in dubio Papam sic voluisse conferre. Card. Luc. *de benef. d. 23. nu. 4. & d. 18. n. 12.*

Quæstio 515. Unde igitur dignoscendum, Papam voluisse uti hac suâ potestate, & contulisse mero jure concursus?

1. **R**espondeo primò, ad id conferre, quæ generaliter dici solent de præsumenda principis voluntate præjudicandi tertio, ejusque jus tollendi, quæ videri poterunt apud Card. de Luc. *tit. de regalibus. d. 148.*

2. Respondeo secundò: quòd, dum Papa isto conferendi modo, nempe jure ordinario & meri concursus conferre intendit, utatur formulâ collationis diversâ ab ea, quæ adhibetur, quando confert tanquam reservatum vel affectum; ex dictâ formulâ speciali adhibita vel deficiente rectè inferatur ad istam, vel contrariam Papæ voluntatem. Card. Luc. *loc. cit. n. 6. & q. 18. n. 2.* citans Burat. *decis. 25. p. 10. recent.*

3. Respondeo tertiò: quòd, ubi provisio Apostolica aliam causam, quàm jus meri concursus habere potest, ad eam collatio referenda erit, & nequaquam præsumenda facta jure meri concursus, v. g. si narrata fuisset Censura Capituli, ad quod aliâ spectabat collatio, ad istam potiùs causam, quàm ad præveniendâ voluntatem referenda erit facta collatio; nimirum censenda, esse facta jure devoluto. Unde etiam, si simile narratum non subsisteret, corrueat dictâ provisio, five ex defectu voluntatis habenda foret irrita. Card.

de Luc. *loc. cit. n. 7.*

**

Quæstio